



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Symma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Secundus. Aspirations vnde assumendae, & quis ordo in eis  
seruandus sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

*Aspirationes unde assumende, & quis  
ordo in eis seruandus sit.*

## ARTICVLVS SECUNDVS.

**S**acra Scriptura indubie, in Psalmis maximè aspirationum fœcunda est: præterea D. Augustini Soliloquia, & Manuale usque adeò illis abundant; ut nemo sit, cuiuscunque tandem humoris, vocationis, vel instituti fuerit, qui non inde aliqua utilia desumere valeat. Ceterum tanta est librorum aspirantium frequentia, ut facile quilibet suo ingenio satisfacere possit, si aliquem sibi eligere voluerit: optimum tamen est, istiusmodi orationes iacularorias, vel ex alijs, vel ex seipso colligere, quæ magis ad mortificationem, & Dei amorem accendent.

Ad aspirationis porrò ordinem quod attinet, ille in praxi omnino promiscuus est; nimia enim amoris fœcunditas, tanquam ignea flamma scintillas feruoris undecunque prouenientes sufflaminat, [nec attendit a quo ordine, qua lege, quavè serie, seu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum fui sentiat detrimentum. interdum nec verba requirit, interdum nec voices omnino ullas, solis ad hoc contentus suspirijs. Inde est, quod Sponsa sancto amore flagrans, idque incredibili modo, sane pro captanda quantulacunq; euaporatione ardoris, quem patitur, non considerat, quid, qualiter eloquatur, sed quidquid in buccam venit, amore urgente non enuntiat, sed

eructat. Per se enim ex intimes non solum cum non vis, sed & cum nescis, erumpit, euulsus potius quam emissus.] pro ordinario tamen aspirationis usu con sequenter dicimus,

*Quod Aspirationes non nimis multiplicatae, transeant in contemplationem.*

## ARTICVLVS TERTIVS.

**Q**uidam sermonibus pleni, & spiritu vteri sui coarctati, quasi b mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, usque adeò in spiria, gemitus, & sonos prorumpunt, ut paulò minus, quam sibiipsis anhelitum suffocare videantur; parum memores vicissitudis humanæ, ac inconstantis naturæ, quæ cum modo diuina omnia quasi deglutiire satagat, mox deinde eorum ineredibilem nauseam experietur, & hoc ipsum ex eo, tum quod eiusmodi nimia activitate animam, & corpus defatigent, tum quod naturalem choleram, sicuti cum hoc, vel illud indignè ferunt, indiscretè commouendo, propriæ interioritatis serenitatem conturbant: tum etiam quod ex modico adhuc progressu spirituali, praesentia Dei in statu aspirationis nondum continuari possit, absque interruptione, quæ facile accedit.

Aspirationes itaq; moderato feruore, & repetitione assumendæ sunt, ut scilicet postquam unius aspirationis operatio, & gustus cessauerit, suumque pze.

a. Bernar. b. Iob. 32.